


Johann Joachim Reuß

Athenaei Gedanensis Cives Genere & Eruditione Florentissimos Ad Lectiones Publicas Locis & Horis ad calcem Indicatis Habendas Qua par est Humanitate invitat Johannes Joachimus Reuss

Gedani: Stollius, [1706]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81783155X>

Druck Freier  Zugang



[Blank yellow label]

Hb
9¹⁻¹²

Hb - 9¹⁻¹²

GEBUNDEN BEI
W. SCHORNACK
ROSTOCK 1/M.
GRÜNER WEG 5.



Q. D. B. V.
ATHENÆI GEDANENSIS
CIVES
GENERE & ERUDITIONE
FLORENTISSIMOS

Ad
Lectiōnes Publicas

Locis & Horis

ad calcem Indicatis

Habendas

*Quâ par est Humanitate
invitat*

JOHANNES JOACHIMUS REUSS.

Græcæ & Hebr. Lingv. Profess. Ordinar.

GEDANI,
Typis JOHANNIS ZACHARIÆ STOLLII.
ATHEN. TYPOGR.
1. 780.



Amplisimus est Philologiæ campus, quæ per omnes artes, scientias & Facultates, quas vocant, diffunditur. Non enim subsistit in vocibus tantum enucleandis & investigandis, sed quoq; progreditur ad locutionum & sermonis ipsius considerationem, quid in quâq; linguâ decens, quid proprium, quid ab eâ abhorrens sit, quid cum aliis commune habeat, accurate trutinans. Quin ipsarum rerum sibi vendicat iudicium. Cum enim Res non possint nisi convenientibus verbis ceu signis exprimi aut manifestari, nemo rectius, num res significantibus & propriis expressa fuerit verbis, iudicabit, nisi qui vocum naturam & virtutem, earumq; ad se invicem habitudinem habet cognitam, teste vel solo Platone, qui in Cratylo sub initium: καὶ δὴ καὶ ἰὸ πρὸ πάντων ὀνομάτων ἔσμι κερὸν τυγχάνει ὄν μάθημα. καὶ τῆτο πάνυ ἀπλὴν εἶναι, ὅς ἂν τὰ ὀνόματα ἐπίστηται, ἐπίστασθαι καὶ τὰ πράγματα. *Certè non levis est eruditio nominum notitia. Hocque omnino simpliciter se habet, eum qui nomina novit, rem quoque habere perspectam.* Complectitur præterea universam Criticam, tam verbalem, quam realem, & per omnium Seculorum historias vagatur, quæ quovis ævo fuerint gentium consuetudines, ritus & ceremoniæ, ex illis observans, nec canam antiquitatem intactam relinquit. Non incommodè vocari potest Polyhistoria & Polymathia, quæ veteribus Grammaticè dicta est. Qui enim prima linguæ literarum fundamenta alios docebant, Grammaticæ audiebant, & ars circa illa occupata Grammaticè. Hinc quanta sit ejus utilitas simul & jucunditas, oppido patet. Animum sanè voluptate perfundit maximâ, quodvis scriptorum bonorum genus posse intelligere, ex iis animum omnigenâ eruditionis & virtutis copiâ instruere, varias variarum gentium & Nationum vivendi rationes tenere, & quæ sunt infinita alia, ex hoc studio promanantia, quibus ad quodcunque vitæ genus apti & habiles reddimur. Necessitas autem ejus tanta est, ut nullus eruditi nomen sine hæc tueri possit. Deme Theologo, Jurisperito, Medico, Philosopho &c. Philologiam, maximum tolles ab iis ornamentum, abs quâ reliqua scientia corpus quasi quoddam informe ac rude erit. Imò quod Theologiam spectat, tantæ eam quidam necessitatis judicarunt, ut minori cum damno quis Philosophiâ quam Philologiâ carere possit. Quod tamen de summâ ejus necessitate tantum intelligitur, non quod Philologia vilipendium inducat Philosophiæ, vel quod ejus ope non indigeat. Sororio enim hæc duæ scientiæ vinculo connexæ sunt, & altera alterius poscit opem res & conspirat amicè. His duabus alis ad arcem scientiarum tam sacrarum quam profanarum ferimur. Jam quâ ratione Nobilissimam hanc Scientiam adipiscamur, non adeo obscurum esse potest. Certum enim est, variorum Auctorum non unâ linguâ exaratorum lectione eam potissimum comparari. Quænam verò inprimis linguæ ad hoc requirantur, nec hoc difficile erit conjectare. Nam præter linguam latinam, cui omnis eruditio rerum quâ sacrarum quâ profanarum in possessionem cessit, quæque multarum gentium nunc agit Mercurium, imo reliquis linguis addiscendis ceu commodissima destinata est, maximè requiritur liuguarum Græcæ & Hebrææ cognitio, eaque non proletaria sed accurata, ut quodvis genus Auctorum, quorum his linguis scripta monumenta ad nos pervenerunt, dextre intelligere possimus. Tribus enim hisce linguis, quicquid viri eruditione & Doctrina clari scripserunt, continetur, ut hinc quoq; linguæ Doctorum salutata sint, quæ aliis etiam solent ornari titulis. Sic Hebræa laudatur sancta, Græca sapiens, Latina erudita; item hæc Ecclesiastica, illa Apostolica, ista Prophetica. Et quidem beneficio græcæ linguæ totius Græciæ nobis recluduntur Thesauri. At quæ & quantæ opes! Hæc pandit nobis veterum Philosophiam omnem, quæ quò antiquior est, habet nescio quid reconditæ sapientiæ & veritatis. Hæc ducit in penetralia & adyta antiquorum Poëtarum, quorum veneres & lepores, quicquid est latinorum Poëtarum, summo studio & elegantiam sectati sunt. Eâ cognoscimus Veterum res gestas, ritus, leges & universam antiquitatem, è quibus quantum redundet in rem literariam utilitatis, ii soli nesciunt, qui elegantioris literaturæ expertes sunt. Hæc œconomiam nostræ per Christum reparatæ salutis intelligimus rectius, ne quid dicam de egregiis Græcorum Patrum scriptis, quorum summus in Theologiâ usus est. In summa quicquid Latinorum libri habent sapientiæ, eruditionis, elegantiam,

gantia, id omne ferè à Græcis habent, Magni Scaligeri iudicio : *Ut ῥῶμης nomen
 Græcum est, sic & lingua Romana universa.* Quod per omnes latinæ linguæ partes
 in *eruditissimo de Hellenolexiâ Tractatu* pluribus probatum ivit *Daniel Vechnerus*. He-
 bræa vero lingua ut est antiquissima, sic divinissima, quippe à DEO ipso immediatè
 ortum trahens. Sistit ea nobis totius rerum universi vera primordia, describit
 primæ Ecclesiæ conditionem, Patriarcharum Sanctorumque DEI hominum
 cum DEO conversationem, pietatem, integritatem, multas tentationes, pa-
 tientiam, electi DEI populi varia fata, miram circa illos DEI curam & providen-
 tiam, gravissimas Prophetarum conciones, solatio plenas promissiones, preces pio-
 rum ardentissimas, & quod palmarium est, lætissima & luculentissima de Humani
 generis redemptione vaticinia. Quid verò sanctius esse potest legibus, quas DEus
 tulit? quid concinnius cultu, quem ipse instituit? quid magnificentius Templo,
 cujus structuram præscripsit? quis ordo venerabilior eò, quem consecravit? quænam
 denique Regiminis formâ præstantior eâ, quam Supremus Monarcha, Rex Regum,
 Dominus Dominantium condidit & administravit? Non sufficerem enarrandis, quas
 sacer Codex nobis subministrat, utilitatibus, etiamsi multis & prolixis uterer verbis.
 Ex quò, qui Christi nomine appellantur, quod in vitæ verè Christianæ usum conver-
 tant, uberrimè haurire possunt. Quæ omnia Hebrææ ut & Græcæ linguæ intelli-
 gentia nobis præstat. Quæ eò ardentiori curâ & veneratione nobis applicandæ
 sunt, quo animæ salutem, cui nihil præferri potest nec debet, linguis hisce promissam,
 certiori fundamento ex eis eruendi major nobis incumbit necessitas. Qui amore
 exteras regiones videndi tenentur, aut quos officii & vitæ, quam professi sunt, ratio
 urget cum peregrinæ linguæ hominibus conversari, ut fine suo potiantur, multum
 sæpe in addiscendis eorum linguis collocant temporis, nullisque parcunt sum-
 tibus; & nos illis linguis, quæ fontem omnis sapientiæ & prudentiæ, quæ bona non
 apparentia, sed vera, non temporalia sed æterna nobis exhibent, parum operæ
 & diligentia ad animæ dulcedinem & tranquillitatem impendere pigrabimur?
 Quod si omnes aut saltem plurimi, qui Ecclesiæ aut Reipublicæ præsertim Cele-
 brioris administrationi aliquando admoveri cupiunt, linguarum harum notitiâ
 imbuti essent, quantum res & Publica & Christiana inde caperet emolumentum!
 Neque difficultas, quæ hîc plerumque prætendi solet, tanta est, ut quemquam
 à linguarum studio merito absterreat. Valet enim, quod alias de rebus arduis dicitur,
 præsertim hoc quoque in negotiò : *Quod rem sæpe non quod difficilis sit, non audeamus,
 sed quia non audeamus, difficilis esse videatur.* Quæ enim hîc occurrit difficultas, non in
 linguis ipsis consistit, sed ex accidenti solum illis adhæret, vel à Docentis vel ab Au-
 dienrii culpâ, vel à necessariorum ad hæc studia requisitorum defectu orta. Infe-
 liciter hæc studia cedunt, quando qui Docentis munere fungitur, aut non satis à ne-
 cessariâ linguarum cognitione instructus est, aut docendi peritiam non habet, aut
 fidelitate & dexteritate destituitur. Discipulorum verò culpâ intervertuntur, si non
 fervorem & diligens studium illis adhibent, aut pertinaci industriâ in iis perseverant,
 Nonnulli etiam penuriâ librorum aliorumque necessariorum laborant. Qui-
 bus de causis fit, ut linguæ vel penitus negligantur, vel si in uno alterovè initia cœpe-
 rint, mox remittantur, nec ad perfectionem deducantur. Questus est de linguarum
 his remoris, quoad linguam inprimis Hebræam, felicissimus literarum Hebraicarum
 instaurator *Paulus Fagius* in Præf. ad Coll. Transt. V. Tsti. his verbis : *Quod lingua
 sancta à multis etiam plerisq; Theologis spreta & contempta jacet, hæc mihi videntur esse
 potissimum cause: primò, ignorantia utilitatis, Ignoti enim nulla cupido; altera librorum
 Hebraicorum penuria, postremò raritas idoneorum Professorum, per quos certè multos à
 studio sancta lingua potius absterri quam allici crediderim, dum perpetuò in crepundiis
 linguæ, h. e. primis rudimentis & trivis Grammaticis inherent, nec penitus in ipsam lin-
 guam ingrediuntur, nec altius assurgunt, ut discipulos suos etiam ad legenda Commentaria
 instituerent, atq; ex illis, quæ ad linguam peritiam & intelligenda Biblia faciunt, cum judi-
 cio eruere docerent.* Hæc quæ jam præfatus sum, eò fine à me dicta sunt, ut vos
 CIVES Optimæque Spei futuros Sacrarum literarum AUDITORES amicè compellandi
 viam mihi pararem. Nostis me non ita pridem à MAGNIFICO REIPUBLICÆ GEDANEN-
 SIS SENATU, DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS ad Spartam publicè Sacras literas docendi,
 bene-

benevolentissime esse vocatum, & ad id munus capeſſendum ſolenni PROCERUM atq; PATRUM præſentiâ, quod devoto ſemper agnoſco animo, inauguratam. Quare eam mihi impoſitam eſſe neceſſitatem ſentio, ut quod mihi conceditum eſt, muneri pro virili ſatisfacere, Eorumq; voluntati omni animi contentione reſpondere annitar. Quod ut præſtare poſſem, Vos in ſubſidium mihi vocandi eſtis, (nam veſtrâ quoq; maximè intereſt, vobis enim ſeritur vobis & metitur) ut me nec ingratum eſſe nec tantâ beneficentiâ planè indignum PATRONIS demonſtrem. De veſtrò in has literas ardore & ſtudiò, non eſt quod dubitem, ſiquidem benè multis in privatis Collegiis documentis induſtriam mihi veſtram probaſtis. Utilitatem quoq; è linguarum culturâ permanantem probè ſcitis. Adeoq; primam Sacrarum literarum difficultatem ſublata fore confido. De *ἱερατικῆς* mea gloriari nihil attinet, Ingenii tamen mei aciem diligentiâ veſtrâ ceu optimâ cote exacuiam, dexteritate verò & fidelitate nulli cedam. Hocque pacto alteram difficultatem ſuperabilem fore ſpero. Nec tertia veſtrum aliquos abſtrahere debet ab his ſtudiis, modo animum ſciendi cupidum attuleritis, DEoque confiſi fueritis, qui facilè viam monſtrare poteſt, quâ ad optatum pervenire poteſtis ſcopum, Patronoſq; excitare, qui veſtra ſtudia pro DEI gloriâ incepta promovebunt. Ut verò, quæ noſtra ſtudia futura ſint, quâq; ea tractaturi ſimus methodo, publicè conſtet paucis indicabo. In Primâ Curiâ in Hebræicis initium faciemus ab ipſo mundi exordio, primo Moïſis libro, ubi latinè priùs redditum Textum Grammaticè, breviter tamen & perſpicuè reſolvam, indicatis etiam Idiotiſmis, aliſq; ad linguæ Hebrææ intellectû facientibus. Quibus Rabbinorû quoq; adjiciam ſententias vel fabulas interdû, nec inutiles, ut ſpero, nec injucundas, omni tamè prolixitate evitatâ. In Græcis explanabo Epistolam ad Romanos, notando ſignificantiores & difficilioreſ voces ſimul & idiotiſmos. Jungemus huic Heſiodû, Poëtam facilem & venuſtû, quem, quâ opus erit, dexteritate explicabo. Horas locabimus ſtudiis hiſce apprimè aptas matutinas à ſeptimâ ad octavam, & quidem die Mercurii & Joviſ Hebræicis; Veneris autem Græcis N. Tti. & Saturni Poëtæ lectionibus. In Secundâ Curiâ horas itidem matutinas duas à ſeptimâ ad octavam, diei nempe Lunæ & Martiſ tribuemus Græcis lectionibus in Evangelium Lucae inſtituendis, præmiſſâ brevi Grammaticæ Græcæ ad ductum Roſteuſcheri vel Welleri in gratiam Græcas literas incipientium repetitione & declaratione. Nec exercitia Græca negligemus. In Hebræicis animus erat quatuor priorâ Geneſeos Capita ſeorſim excuſâ, methodo, quâ nulla tyronibus utilior, Edzardianâ proponere & Opitii Grammaticam explicare, quia verò neutrius libri hîc loci ſuppetunt exemplaria, differendum hoc eſt propoſitum, donec eorundem nobis copia ab aliis locis fiat. Interea quæ quisq; habet, ſecum ferat Grammaticam Hebræam, & Pfalmoreum librû facilius obvium, non quod ab hoc libro ceu difficiliori rectè initium fieri cenſeam, ſed cum quæ vellemus, non habeamus, his tantisper uteremur in fundamentis tantum lectionis & inflexionis Hebrææ linguæ docendis. Et hoc fiet die Joviſ & Veneriſ ab hora ſecundâ ad tertiam. Privatim nulli tum in Græcis tum in Hebræicis operam meam denegabo, nec illis, qui in linguâ Chaldaicâ aut Syriacâ, ut & Rabbinicis aliſq; Judæorum ſcriptis ſe exercere volunt. Hæc ſtudiorum noſtrorum facies. Agite igitur, CIVES PRÆSTANTISSIMI, & illas linguas è quibus tot & tantæ in Vos, in Rempublicam, in Eccleſiam redundant utilitates, ſtrenuè mecum excolite. Si jam non piguerit incipere, non poenitebit poſthac incepiſſe. Non fruſtremur PATRONORUM optimam voluntatem & Gratiam, benignè in nos collatam. Gratiitudinis loco promittitudinem & obſequium in iis, quæ nobis incumbunt, præſtandis exhibebimus, ut retineamus EOS nobis faventiſſimos, & ad ulterius benefaciendi ſtudium incitemus. DEUS verò omniſ Sapientiæ Autor & conſervator ſtudiis noſtris clementer annuat, noſq; per linguarum ſtudium habiles reddat ad intelligendum verbum ſuum, & ad omne bonum opus inſtruat! Ipſe quoq; ut Muſæ etiam noſtræ quietè agere poſſint, URBEM noſtram ſub mediis bellî fluctibus Providentiâ NUMINIS & Cura PATRUM hætenus conſervatam ulterius protegat, PACEMQUE omnium votis tamdiu exoptam, utinam tuto & certè, ut rumor fert, dicere liceret, jam impetratam! Nobis clementer concedat! P. P. D. XXI. Novembris A. R. S. MDCCVI.



[A small, rectangular, light-colored paper label is affixed to the spine area on the right side of the book cover. The text on the label is illegible due to its orientation and the image quality.]

stituerent, in quibus formaretur in provinciis iuventus,
 manisque institutis ac legibus imbueretur. Atque hinc Fl.
 spasianus Imp. luculenta primus Latinis Graecisque Rhetor-
 us constituit stipendia, quae post eum philosophis quoque
 Antoninus decrevit. (d) Constantius Chlorus Imp. Eu-
 nium Rhetorem ex aulae luce in scholae umbram lautissi-
 stipendio misit, ut Maenianam scholam, Bagaudico tu-
 ultu vastatam restauraret. (e) Julianus Imp. apostatae no-
 ne notabilis, cum aegre vellet rei facere Christianae, Christia-
 rum occludebat scholas, scriptoresque profanos explicari pro-
 ebat, ne ex hisce superstitione pagana absurdae impietatis ar-
 eretur. (f) Neque vero eius rei causa fuit, quod provide-
 prudens Imperator gliscens iam iniquitatis mysterium, &
 tantum mali Ecclesiae atque reipublicae immineret ex ma-
 rorum disputationibus, quod peruerse tradit aliquis Oron-
 . (g) Justinianus Imp. cum magnos in templorum sub-
 uctiones sumptus conferret, eosque ut colligeret, stipendia
 rtium Magistris detraheret, factum est, ut scholae
 uerentur, & rusticitas dominaretur, quod Zo-
 didit Jo. Avrowsmith. (h) Sub idem tempus bar-
 , qualesdum Romanis erant, Germani omnes,
 omanorumque prouincias, Hispaniam, Galliam
 que, inuaserunt & occuparunt, scholasque oppres-
 gnauit hinc barbaries per longum seculorum de-
 n alibi, tum in Germania imprimis, donec Frid-
 V. potius aevo literae renascerentur, & passim con-
 ademiae, Graecique exules literas Graecas Italiae
 Lux literarum uti occasionem praebuit desideratae
 formationi, ita haec illarum auctus & ornamenta
 Lutherus enim nugae scholasticas non improba-
 eiecit; Sed Germaniae quoque in oppidis, qui fu-
 stratus, grauitate cohortatus, scholas ut erige-
 neque adeo uti de religione, sic de literis etiam me-
 eque enim dubium habet, quin maiori studio at-
 u literae ac disciplinae fuerint excultae in scholis at-
 uis, emendata ubi obtinuit religio, quam Romani
 ecretis ubi sunt addicti, Galliam si exceperis, quae
 ficis ceruicem penitus nunquam submitit, & vel
 e reformationum, quos diu ciues habuit, excitata fuit.
 haec Quedlensis ciuitas, cum reformationis vrge-
 duas scholas, alteram in veteri, alteram in noua urbe,
 prima femina emendatae religionis a Rectore, Leo-
 ne, sparsa sunt.

in V. Vespas. c. xliii. Casaubon. in h. l. p. 553. e) Panegy. Veter.
 e est Eumenii pro restaur. scholis p. 55. l. edit. Cellar.

r. Io. Petr. Ludwig Diss. de edicto Iuliani contra philosophos Christia-
 al. 1702. nostra obi. in Miscell. Lips. To. IV. p. 195. g) Unpartheische
 ncken von der alten und neuen Gelehrsamkeit / p. 27. h) Tactic.
 p. 344. i) To. II. Altenb. p. 804. *) Hallbauer Diss. ecclesia Luth-
 olitoris literaturae patrona, Jen. 1717.

